

TITULUS XVIII.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSINT, VEL CONTRA
ILLUD TESTIFICARI? ^a115. Q. I. *Quis sit ordo acusantium matrimonium?*

R. 1.^o Si agatur ad impediendum matrimonium futurum, omnes de populo admittuntur, denuntiantes impedimenta, ut peccatum præcaveatur.—2.^o Si agatur ad divortium quoad vinculum ex causa impotentia perpetua, soli conjuges admittuntur; quia, si velint, cohabitare possunt ut frater et soror (*c. 5. de frigid.*): idem dic si agatur ex causa erroris personæ, conditionis servilis, metus. Si verò agatur ex causa consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis aut alia simili, præ ceteris admittuntur, qui meliorem notitiam impedimenti habent, ut parentes, consanguinei, vicini (*Can. 1. et seqq. 35. q. 6. et cap. 3. hoc tit.*) Si tandem ex alio impedimento agatur, admittuntur quicumque alii veraces, præsertim quorum interest; *cap. 1. de his quæ vi*, ubi priorissa cum sororibus impugnat matrimonium ut invalidum ratione professionis religiosæ.—3.^o Si agatur ad divortium quoad habitationem et thorum, regulariter solus conjux innocens admittitur; cum istius tantum intersit, et si velit, injuriam possit remittere (*cap. 5. de procurat. cap. 25. §. illud, de jurejur. c. 4. de adult.*)—4.^o Si agatur criminaliter ad pœnam adulterii, quilibet mas de populo 25 annis major admittitur ad acusandum, cum adulterium sit crimen publicum (*tit. ff. et C. ad l. Jul. de adult.*)—Rejiciuntur autem ab accusatione matrimonii dissolvendi pecunia corrupti, et qui post denuntiationes publicas impedimentum non manifestarunt; nisi causa absentia vel alia eos excuset: item absentes, qui per litteras accusare non permittuntur; nisi alia adminicula eis suffragentur (*c. 2. 5. h. t. Can. 5. per scripta 2. q. 8. etc.*)

116. Q. II. *Qui testes admittantur contra matrimonium in facie Ecclesie contractum?*

R. Illi præ ceteris, qui meliorem notitiam impedimenti habent, modò non sint suspectæ fidei (*cap. 47. de testib.*) Unde etiam parentes et consanguinei admittuntur, etiamsi deponant pro sustinendo matrimonio, eisque creditur, nisi ex circumstantiis testimonium eorum reddatur suspectum; ut si nimis cupiant matrimonium sustineri; vel si sponsa petat in virum aliquem se longè majorem divitiis, nobilitate etc.

^a—Agitur de hac materia in Decreto 35. q. 6.

Rejiciuntur autem à testimonio contra matrimonium, quorum fides non est integra; ut si pecunia sint corrupti etc.

117. Q. III. *Quo tempore accusatio matrimonii sit instituenda?*

R. Quocumque tempore, cum impedimenta matrimonii nulla præscriptione tollantur, neque matrimonium cum his initum convalescat, aut sententia super illo lata transeat in rem judicatam (*cap. 7. de sent. et re judic.*) Si tamen conjuges sint mortui, actio contra legitimitatem prolium præscriptione extingui potest per 30 annos.

118. Q. IV. *Quæ causæ matrimoniales pertineant ad forum judicis ecclesiastici?*

R. 1.^o Seqq.: matrimonii et sponsalium natura, qualitas, valor, obligatio, benedictio nuptiarum, sponsorum et conjugum jura et reciproca obligationes, impedimenta, legitimitas et legitimitatio prolium per matrimonium, dissolutio et redintegratio sponsalium et matrimonii, dispensatio in impedimentis, et quæcumque alia causa involvens quæstionem juris super matrimonii et sponsalium contractu, privativè spectat ad judicem ecclesiasticum (*cap. 3. de ordin. cognit. cap. 5. qui filii legit.*), idque sub anathemate definitivit Trident. Sess. 24. *Can. fin.* Judex autem iste est Papa in tota Ecclesia, et quilibet ordinarius in sua diocesi, vel eorum delegati, aut qui ex privilegio habent jurisdictionem cognoscendi causas spirituales; *cap. 12. de excess. Prelat. Trident. Sess. 24. cap. 20. vers. Ad hæc causæ matrimoniales, c. de reform.*, ubi ab hoc judicio excluduntur decani, archidiaconi et alii inferiores Episcopo seu ordinario.

2.^o Causæ matrimoniales temporales per se spectant ad forum judicis secularis: uti causa dotis, donationis propter nuptias, hæreditariæ successione, alimentorum, ventris inspiciendi etc.: si tamen talis causa incidenter moveatur apud judicem ecclesiasticum, ab eo utique cognosci potest, cum ecclesiasticus non sit incapax ad cognoscenda temporalia, sicut laicus incapax est ad spiritualia.—Vide dicta *tit. de judic. et tit. de for. compet.*

TITULUS XIX.

DE DIVORTIIS. ^a

119. Cum ad accusationem matrimonii sequatur divortium seu separatio conjugum, rectè hæc agitur de divortio, quod triplex est:—1.^o Divortium quoad vinculum.—2.^o Divortium perpetuum quoad thorum et

^a—Agitur de hac materia in Decreto 28. quæst. 1. 2. et 32. quæst. 6. 7. et *Can. 9. ab isto 35. quæst. 6. et quæst. 9. fere per tot. Trident.*—Sess. 24. *Can. 7. 8.*—In Pandectis *libr. 24. tit. 2. 3.*—In Codice *libr. 5. tit. 17. 18.*

cohabitationem.—3.^o Divortium temporale quoad thorum et habitationem. Et quamvis ex matrimonio invalidè contracto nullum oriatur vinculum *juris*, sed præcisi *facti*, quia tamen in foro fori inter contrahentes putatur esse quoddam retinaculum, ideo etiam istud dissolvi debet, seu potius declarari matrimonium esse nulliter et sine effectu contractum.

120. Q. I. *Quo modo dissolvendum sit matrimonium nulliter contractum?*

R. 1.^o Ad hoc necessaria est auctoritas Ordinarii, vel alterius legitimi judicis: secus conjux propria auctoritate recedens, compelli debet ad redeundum (*c. 13. v. quod si de restit. spoliat.*), nisi notoria esset nullitas matrimonii.—2.^o Nullitas matrimonii probanda est, non per rumorem, sed saltèm per duos testes omni exceptione majores (*c. 5. de eo qui cognov. c. 22. de testib.*): tum quia causa dissolvendi matrimonii est gravissima; tum quia caveri debet, ne ex collusionem partium dissolutio fiat cum magna irreverentia sacramenti, ad quod requiruntur testes omni exceptione majores: licèt aliòquin dum agitur ad impedendum matrimonium et vitandum peccatum, sufficiat unus testis denuntians impedimentum.—3.^o Posita plena probatione, et per exceptiones non infirmata, judex pronuntiat matrimonium esse invalidum; ac proinde separatis conjugibus, si aliud non obest, dat licentiam transeundi ad alias nuptias. Si verò plena probatio non est allata, judex pronuntiat pro valore matrimonii, utpotè causæ favorabilis (*argum. cap. 22. de testib.*), atque in foro externo matrimonium est validum. At in foro interno, si ambo vel alter conjugum certam habet notitiam impedimenti dirimentis, non debent, imò nec possunt parere sententiæ judicis, exigendo et reddendo debitum, vel cohabitando, si periculum sit incontinentiæ; quia hoc non esset aliud, nisi fornicari et peccare, quod prohibet jus naturale, utique præferendum falsæ sententiæ judicis. Imò si compellantur per censuram excommunicationis, hæc potius humiliter sustinenda est, quàm Deus offendendus: ità decisum est *c. 13. de restit. spoliat. c. 44. de sent. excom.* Unde in hoc casu arduo pars conscia impedimenti potest, imò tenetur occultam dispensationem petere à Papa, si bonum prolis vel alia gravis causa id postulet, modò sit impedimentum dispensabile.

Ex Const. Bened. XIV. *Dei miseratione* 3. Nov. 1741. notandum: "

I. Quòd cognitio causarum matrimonialium extra romanam Curiam pertractandarum committi nequit, nisi Episcopo, præsertim viciniore: etsi nullus sit Episcopus, committi debet uni ex judicibus synodalibus, juxta modum ab eodem Pontifice præscriptum in litteris encyclicis locorum Ordinariis scriptis sub die 26. Augusti 1741. *Quamvis paternæ*: Et hujusmodi cognitio numquam finienda est, nisi post duas sententias conformes super nullitate matrimonii, sive post primam appellatum sit, sive non, sub pœnis, ut infra incurrentes.

II. In singulis diœcesibus eligendus est ab Episcopo defensor matrimonii; etsi fieri potest ex ecclesiastico cœtu, ad ipsius Episcopi ar-

bitrium removendus, cum mercede, si id munus gratis obire nolit, ei constituenda ab ipsius causæ judice, et solvenda ab ea parte, quæ pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit: sin minùs, à judice primæ, vel secundæ vel tertiæ instantiæ respectivè ex pecunia mulctarum suorum tribunalium. Quando verò judices causæ erunt judices commissarii carentes foro et mulctis, tunc solvenda est ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus diœcesi dicti judices juxta S. Sedis mandatum judicium exercebunt.

Hunc defensorem statuit Pontifex esse tamquam partem necessariam ad judicii validitatem; ideoque semper citari et deesse debere in judicio, sive unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo quorum alter pro nullitate, alter verò pro validitate in judicio veniant: tenerique nedum præstare juramentum de fideliter suo munere obeundo, quando ad hoc deputatur, sed etiam toties, quoties adesse debet in judicio pro alicujus matrimonii validitate tuenda.

Ejus autem munus in eo situm est, ut: «Si à judici matrimonii validitate judicabitur, et nullus sit qui appellet, ipse etiam ab appellatione se absteat; idque etiam servetur, si à judice secundæ instantiæ pro validitate matrimonii fuerit judicatum, postquam judex primæ instantiæ de illius nullitate sententiam pronuntia verat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor intra legitima tempora appellabit adhærens parti, quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium subsistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem provocabit.

Appellatione à prima sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam vel oscitantiam, vel collusionem defensoris et partium, interposita, si ambo, vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus: ut non solum serventur, quæ adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt, præsertim, ut invicem à cohabitatione separentur, quoad usque altera sententia super nullitate emanaverit, à qua intra decem dies non sit appellatum; vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium hujusmodi, omnibus pœnis contra poligamos à sacris Canonibus et constitutionibus apostolicis constitutis omnino subjaceant.

Posteaquam verò, appellationis beneficio, ad alterum judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quæcumque coràm judice in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coràm altero in secunda exactè ac diligenter custodientur, citato in quolibet judicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenuè ac pro viribus tuebitur. Et si judex in secunda instantia fuit Metropolitanus aut Sedis Apostolicæ Nuncius, aut Episcopus viciniore, matrimonii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quæ à nobis superius constituta sunt, peragere possit. Si autem judex in secunda instantia

erit iudex commissarius, cui à Sede Apostolica causæ cognitio demandata sit, et qui tribunal et jurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus diœcesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.

Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda, æquè ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minimè censuerit, in potestate et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere; dummodò alicui eorum, ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur et locum habeat, salvo semper et firmo remanente jure seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam: sed si nova res, quæ non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumuntur, et rursus in iudicalem controversiam revocari. Quòd si à secunda sententia super nullitate, vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifestè injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanatæ, volumus, ut firma remanente utrique conjugum prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, à nobis constitutis subesse decernimus. Causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quæ à nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet iudiciali actu, citato et audito defensore matrimonii, qui à iudice tertiæ instantiæ deputatus fuerit.»

Quoad causas matrimoniorum Romæ disceptandas præcipit, omnia et singula supra præscripta servanda esse. Verum cum hæc sit particularis curiæ, vide peculiariora, quæ sequuntur in cit. Constit. à §. 13. ad totum §. 15."

121. Q. II. *An, et quomodo vinculum matrimonii rati dissolvi possit?*

R. 1.º Vinculum matrimonii rati, et multò magis consummati, de jure naturali seu ab intrinseco, de jure divino et pontificio est indissolubile: ità quoad rem communis et vera sententia contra Michaellem de Medina, quem secuti sunt aliquot inferioris notæ Juristæ, minùs cautè docentes, matrimonium ratum solo jure Ecclesiastico esse insolubile. *Prob. 1.ª pars ex Gen. 2 v. 22 et seqq.*, quem testum explicans Trid. *S. 24.* per indistinctè ait: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens, divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea etc.* Idem docet Bonif. VIII. *c. unic. de voto in 6.*; atqui præceptum hoc, quod Adam

pronunciavit, erat omninò naturale ab actore naturæ inspiratum, cum præter præceptum de pomo non comedendo nullum aliud positivum fuerit in paradiso; ergò matrimonium quoad suam essentiam est de jure naturali et ab intrinseco insolubile. Ratio est, quia matrimonium ex sententia et definitione sua importat perpetuam vitæ consuetudinem et societatem, ut omnes gentes benè moratæ agnoverunt, definiens matrimonium, quod sit viri et mulieris conjunctio, *individuum vitæ consuetudinem continens* (§. I. *Inst. de patria potest.*); ergò matrimonium jure naturali et ab intrinseco est individuum et indissolubile; siquidem, quod ab intrinseco contractui competit, id jure naturali competit, sicut est translatio domini in mutuo, jus utendi in commo-dato etc. *Prob. 2.ª pars de jure Div. Matt. 18.: Quod Deus conjunxit, homo non separet*; Marci 10. et Luc. 16: *Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mæchatur*, et Rom. 7: *Mulier, vivente viro, alligata est legi*; et I. Cor. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere*. Qui textus generales indistinctè procedunt de matrimonio tam rato, quàm consummato; ergò matrimonium de jure divino est indissolubile.—Tertia pars de jure pontificio à nullo negatur, et constat ex *c. 2. et seqq. h. t. et alibi passim.*—Doctores alii huic sententiæ non contrariantur, quia id solùm volunt, quod matrimonio jure naturali non competat absoluta et omnimoda indissolubilitas, ità ut in nullo casu dissolvi possit, et ex parte materiæ mutari: et ideo dicunt esse indissolubile jure naturali *conditionato*, hoc est, quod ex natura sua tandiù sit indissolubile, quamdiù per legitimam potestatem non ponitur in his circumstantiis, in quibus dissolutio illius cohonestetur, et materia à præcepto naturali subducatur. Quod sanè verum est, et doctrina ista generaliter procedit in omnibus præceptis naturalibus, quorum materia mutabilis, et in certis circumstantiis cohonestabilis est, maximè respectu habito ad supremum dominium divinum, cum Deus jus dare possit in vitam innocentis, in corpus solutæ vel conjugatæ, in aliena bona, etc.

His præintellectis, colligo:—I. Quòd Deus dissolvere possit matrimonium non tantùm ratum, sed et consummatum, non obstante naturali ipsius insolubilitate, quia sublato jure conjugum, quod utique subest dominio divino, defectu materiæ cessat obligatio juris naturalis, utpotè non habens materiam, super qua cadat. Ex quo capite, in lege Moysis maritus per libellum repudii, non propria privata, sed auctoritate Dei dissolvebat matrimonium, etiam consummatum. Hodie, sublato per Christum libello repudii, insolubilitas naturalis restituta est matrimonio.—II. Nec judæos, nec gentiles hodie posse dissolvere matrimonia, etiam legitima tantùm, non consummata; quia jure naturali ligantur, uti et divino, quo libellus repudii sublatus est.

Dices: Patres dicunt matrimonium esse insolubile, quia sacramentum est, ex Ephes. 5. et cap. 7. hoc tit., et Can. 15. cum seqq. 27. quæst. 2. et Can. fin. 28. quæst. 1; ergò indissolubilitas non competit matrimonio ab intrinseco, sed ab extrinseco ratione sacramenti.

R. Argumentum istud nimis probare, quòd scilicet matrimonium ratum, quod propriè est sacramentum, non dissolvatur per professionem religiosam; benè verò consummatum, quod propriè sacramentum non est; item quod matrimonia infidelium, cum non sint sacramenta, validè ab illis dissolvantur, quæ omnia sunt falsa. Unde auctoritates istæ sanè sunt intelligendæ, quod scilicet matrimonium consummatum Christianorum nulla potestate humana fit solubile, quia est sacramentum, hoc est, mysterium seu signum speculativum significans insolubilem unionem Verbi Divini cum Ecclesia per carnem, vi cujus significationis adeò confirmata est naturalis matrimonii, ut hoc nulla humana auctoritate dissolvi possit: quod non habet matrimonium ratum nec consummatum apud infideles, cum horum matrimonia dissolvi possint in illo casu, quo uni converso ad fidem, alter citra contumeliam Creatoris cohabitare non vult. Ex his cetera argumenta levia facilè dissipantur.

2.º Matrimonium ratum quoad vinculum dissolvitur per professionem religiosam, idque jure divino, seu ex speciali privilegio Christi.—1.ª pars sub anathemate definita est à Trid. sess. 24. *Can. 6: Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*: idem habetur *c. 2. 14. de conv. conjug. Extrav. Joann. XXII. de voto*, ubi vis ista attribuitur professioni religiosæ; negatur verò SS. Ordinibus.—2.ª pars est Domin., Soto, Salmant., Sanchez *l. 2. de matr. disp. 19. n. 3.* cum citt. contra plerosque RR. docentes id fieri solo jure Ecclesiastico, et contra S. Bonav., Palud. et alios refundentes vim istam in jus naturale. Prob.—I. Professio religiosa *jure naturali* non solvit vinculum matrimonii rati. Nam hoc jure matrimonium ratum est insolubile, imò impediret valorem professionis: siquidem homo per matrimonium uxori traditus, non habet potestatem tradendi se alteri, cum nemo det, quod non habet.—II. Neque professio mero jure Ecclesiastico matrimonium ratum dissolvit: tum quia nullus Canon id asserens ostendi potest: siquidem Eusebius Papa *Can. 27. desponsatam 27. q. 2.* non condit novum jus, sed secundum antiquum pronunciat, desponsatam puellam posse sibi monasterium eligere; tum quia non est credibile, quòd Ecclesia condiderit legem contra jus naturale, et voluerit alteri conjugi jus quæsitum tollere; tum quia Adversarii docent, Ecclesiam non posse condere legem, qua matrimonium ratum dissolvatur, ut patet ex illa opinione hodie improbabili, docente, quòd Papa possit condere legem, qua matrimonium ratum solvatur per subsequens consummatum: sed si professio religiosa mero jure Ecclesiastico solveret matrimonium ratum, jam fuisset condita lex pro eo solvendo; ergò. Tum denique, quia jus Ecclesiasticum abrogari potest per contrariam consuetudinem (*c. fin. de consuetud.*), vel per contrariam legem; sed nec consuetudo, nec contraria lex induci potest, ut professio religiosa non solvat matrimonium ratum, sicut illud non solvunt vota simplicia Societ. Jesu; id enim adversatur exemplis Sanctorum, do-

etrinis Patrum, communi fidelium opinioni et praxi continuò in Ecclesia observatæ; ergò.—III. Directè de jure divino, non tam scripto, quam tradito. Nam quod in Ecclesia semper observatum est, et non constat ab Ecclesia conditum fuisse, rectè refunditur in jus divinum et institutionem Christi; sed semper in Ecclesia observatum fuit, quòd professio Religionis disolverit matrimonium ratum, idque adeò insolitum ab Ecclesia conditum fuisse non constat, imò exempla Sanctorum à nuptiis ad statum religiosum convolantium, uti S. Theclæ, S. Alexii, S. Cæcilie et aliorum reducuntur ad vocationem et instinctum Spiritus Sancti (*c. 2. de convers. conjug.*); ergò. Tum quia Alex. III. *c. 7. ex publico eod.* docet matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvi *secundum interpretationem sacri eloquii*, et Innoc. III. *c. 14. eod.* non revocat se ad legem Ecclesiasticam, ut aliàs solet, sed ad vestigia suorum antecessorum, qui statim à principio tanquam divinam traditionem tenuerunt vinculum matrimonii rati solvi per professionem religiosam. Ratio congrua est, quia cum Christus instituerit statum religiosum sibi gratissimum, eumque nuptiis et statui conjugali prætulerit, meritò credendum est, etiam hoc privilegium speciale ei contulisse, ut per illius professionem solveretur vinculum matrimonii rati; non tamen consummati, quia huic Christus alligavit significationem suæ unionis cum Ecclesia. Ex his soluta manent argumenta contraria. Vide dicta suprà *tit. 6.*

3.º Vinculum matrimonii rati dissolvi potest dispensatione apostolica, modò adsit gravis et publica causa: ità hodie com. sent. contra Scot., Sotum, Pont., Reiff. etc. Prob. ex Matth. 16. *v. 18.* et Joan. *ult.*; B. Petrus, ejusque Successores acceperunt à Christo generalem potestatem ligandi atque solvendi; sed sub hac generali potestate continetur etiam hæc particularis potestas dispensandi in matrimonio rato: tum quia hæc potestas videtur necessaria ad suave Ecclesie regimen et salutem animarum; tum quia Pontifices facto suo declararunt sibi hanc potestatem competere, cum plures in matrimonio rato dispensaverint, ut Gregor. VII, Paul. III et V., Gregor. XIII et alii, ut memorant historiæ: neque est credibile eos in hoc facto errasse, cum maturè processerint, et cum deliberatione prævia, sicut Clem. VIII. 16. Jul. 1599. habita super hoc speciali congregatione; tum denique, quia fideles pietate et doctrina præstantes id continuò docent, et instar traditionis divinæ tenent, quod Christus Dominus eam potestatem dederit suo in terris Vicario (*arg. cap. 2. et fin. de translat.*); ergo.—Quòd verò ad valorem hujus dispensationis requiratur causa justa, gravis et regulariter publica, patet ex generali doctrina, quod inferior sine justa causa non possit validè dispensare in jure superioris (*cap. inferior d. 20*); sed Papa est inferior jure naturali et divino, quo vinculum matrimonii rati est insolubile; ergò. Tales causæ sunt: nimia inæqualitas sponsorum in statu, ex qua timentur tristissimi eventus; timor gravium scandalorum, inimicitiarum, bellorum inter principes, superveniens impoten-

tia in fœmina, per quam pro regni felicitate stemma propagari debuit etc.

Dices:—I. Matrimonium ratum est jure naturali insolubile; sed Papa non potest dispensare in jure naturali etiam conditionato, aliàs etiam dissolvere posset consummatum; ergò.—II. Sequeretur, quòd etiam princeps laicus in matrimonio rato subditorum infidelium dispensare possit.—III. Antiqui Pontifices nunquam dispensarunt; imò se non posse dispensare fatebantur (*Can. 25. et seqq. 32. q. 7. et c. 7. de convers. conjug. et c. 14. eod. ibi: Nisi fortè secùs fieret ex revelatione divina, quæ superat omnem legem*; et teste Abb., Innoc. VIII. respondit, se non posse dispensare.

R. *Ad I. D. m.* Si clarè constet generalem potestatem eo se non extendere. C. m. Secùs N. m. Licèt enim matrimonium ratum ab intrinseco et de jure naturali conditionato non sit solubile, tamen ab extrinseco solvi potest potestate à Christo accepta, sicùt et relaxari possunt vota et juramenta. Sic Angelus ab intrinseco est incorruptibilis, et tamen ab extrinseco per virtutem divinam destrui potest. Paritas à matrimonio consummato non urget; nam ei jure divino alligata est significatio unionis perpetuæ Christi cum Ecclesia per carnem, ob quod magnum sacramentum Ecclesia semper tenuit et tenet, matrimonia consummata fidelium non posse dissolvi per professionem religiosam, vel dispensationem pontificiam, licèt dissolvi possint per Deum, cùm Deus jus suum positivum et jus naturale conditionatum relaxare possit. Hæc autem ratio non currit in matrimonio rato, quod ad summum significat unionem Christi cum anima per gratiam et charitatem, pro hoc statu vitæ solubilem.—*Ad II. N. S.* Quia non constat principi laico hanc potestatem esse datam.—*Ad III.* Non omnia, quæ in Ecclesia facta sunt, scripta habemus. Dum Pontifices dicunt, se non posse dispensare, verum est, si deficiat justa et gravis causa, sine qua validè non dispensatur in jure naturali et divino. *Can. 25.* procedit de matrimonio consummato; vel si de rato, causæ ibi allegatæ non erant sufficientes ad dispensandum, cùm justitia et sufficientia causæ maximè desumenda sit ex circumstantiis; præsertim si ob aliam causam altiorem non expediat dispensatio bono publico. *C. 7. et 14. cit.*, in quo proponitur dubitatio de solutione matrimonii rati, dicit quidem illud dissolvi posse per professionem religiosam; dispensationis verò apostolicæ non meminit, quia de hac non fuit ulla quæstio.

Dices:—*Trid. S. 24. pr.* postquam dixisset, matrimonii nexum esse perpetuum et indissolubilem, nihil aliud exceptit, nisi solam professionem religiosam, quod per hanc dissolvatur matrimonium ratum fidelium (*can. 6. ibid.*); ergò manifestè exclusit omnem alium humanum modum, quo posset solvi matrimonium ratum.

R. *N. C.* Nam ex definitione *Trid.* plus non sequitur, nisi non esse de fide Papam dispensare posse in matrimonio rato, sicùt de fide est illud solvi per professionem religiosam.

122. Q. III. *An vinculum matrimonii consummati dissolvi possit?*

R. 1.º Matrimonium consummatum fidelium nulla in terris potestate dissolvi potest: ità omnes Cathol. ex verbis Christi *Matth. 19. v. 6.: Quod Deus conjunxit, homo non separet*; quæ verba quoad omnimodam indissolubilitatem intelligenda sunt de matrimonio fidelium consummato, ut docet *Alex. III. c. 7. in fn. de controvers. conjug.* et Patres passim. Unde:—I. Vinculum matrimonii consummati non solvitur ex causa molestæ cohabitationis, hæresis, absentiae alterius conjugis, adulterii, vel alia simili: ità definit *Trid. S. 24. can. 5. et 7.* idemque docent antiqui canones in *causa 32. q. 6. et 7 per tot.* Nam Christus clarè dicit *Marci 10. v. 11. Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam*, et *Luc. 16. v. 11: Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mæchatur*; et *1. Cor. 7. v. 10. His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, putà ex justa causa, v. gr. fornicationis viri, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Ratio est, quia Christus voluit per matrimonium consummatum significari indissolubilem unionem suam cum Ecclesia per carnem; tum quia multa mala ex tali dissolutione sequerentur, videlicet, malum prolis, damnum alterius conjugis, et via lata aperiretur adulteriis, ut per illa matrimonia solverentur.—II. Matrimonia hæreticorum valida, sunt omninò post consummationem insolubilia; nam pro his militant eadem argumenta.—Nec obest, quod hæretici erroneè et speculative teneant matrimonia non esse Sacramenta, sed ex conventionem dissolvi posse; nam practicè habent intentionem generalem contrahendi matrimonia, sicùt in Ecclesia Christi contrahuntur: et sic eos contrahere omninò præsumitur, quia quisque præsumitur inire matrimonium validum potius, ex quo legitimos liberos habeat, quàm invalidum. Si tamen hæreticus tam malitiosus foret, ut nollet aliud matrimonium contrahere, nisi solubile, nihil ageret, quia apponeret conditionem solubilitatis contrariam substantiæ matrimonii et cons. invalidè contraheret (*cap. fn. de cond. apposit.*)—III. Matrimonia consummata conversorum ad fidem non possunt dissolvi auctoritate Papæ; nam suscepto baptismo, statim modo insolubili significant unionem Christi cum Ecclesia per carnem (*c. 5. de bigam.*), ex qua sificatione oritur summa ista insolubilitas.

Dices:—I. *Matth. 5. v. 51.* Christus ait: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari, et qui dimissam duxerit, adulterat*; idem repetitur *c. 19. v. 9.*, ubi Christus interrogatus, respondit de dissolutione vinculi matrimonialis, sicùt fiebat per libellum repudii.—II. Eadem solubilitas insinuat *Can. 17. et 23. causa 32. q. 7. et Can. 6. si qua mulier 31. q. 1.*; ergò.

R. *Ad I.* Verba ista, ut concordent cum verbis aliorum Evangelistarum, rectè intelliguntur de dimissione quoad thorum et cohabitationem, estque sensus: qui sine justa causa fornicationis dimiserit uxorem, facit eam mæchari, hoc est, dat ei occasionem mæchandi,